



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Liutprandi Ticinensis Diaconi Opusculum, De Vitis  
Romanorum Pontificum**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Moguntiae, 1602**

LVI. S. Felix. IV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

corporis mortem mœrere debeant, sed caueant, ne post corporis mortem ad supplicia perueniant.

## L V.

## S. IOANNES.

A. ccccc-  
xxiii.

**I**OANNES, natione Tuscus, ex patre Constantino, sedit annos 2. menses 8, dies 16. Fuit autem temporibus Theodorici regis, & Iustini Augusti Catholici. Ordinauit autem Episcopos 15. Hic pro religione catholica, & pro Theodorici causa negotii Constantino-polim venit, vbi Iustino Augusto patrocinate Arrianorum Ecclesias Catholicas consecrauit. Hoc audiens Theodoricus, quoniam & ipse erat hæreticus, furore accensus omnem Italiam gladio & igne perdere æstuabat propter Arrianorum Ecclesias, quarum in Italia multæ erant, quas etiam Catholicas vsquequaq; consecrari Ioannes Papa præceperat, & duos viros exules & Catholicos Symmachum & Boetium ante reditum Papæ tenuit & interfecit. Ipsum autem Pontificem reuersum in custodia Rauennæ detinuit, in qua duriter afflictus tandem defunctus est 15. Kalend. Ianuarii. Sed nonagesimo & octauo die post transitum prædicti Papæ, & ipse rex hæreticus diuinitatis fulmine percussus subito morte sua Italiã liberauit.

Hic Zachariæ Episcopo epistolam destinauit, in qua eum, de quibusdam consultus, instruxit, inter cætera dicens. *De occultis cordis alieni temerè iudicare iniquum est, & eum cuius opera non videntur nisi bona, peccatum est ex suspitione reprehendere.* Et addit in eadem, quæ sæpe numero dicta sunt, videlicet, quòd oues pastorem accusare, nisi pro fide non debeant, & ipse Episcopus, nec vocari aut iudicari potest, priusquam quæ ablata sint sibi legibus restituantur, & ideò hinc præmittenda existimamus.

## L VI.

## S. FELIX. IV.

A. ccccc-  
xxvi.

**F**ELIX, natione Samnius, ex patre Castorio, sedit annos 4. menses 2, dies 12. Hic iussu Theodorici regis ordinatus est, & absq; contentione. Hic ordinauit Episcopos 29. presbyteros 55. diaconos 4. Obiit autem Idibus Octobris Athalarico regnante. Hic autem multis Episcopis per diuersas prouincias constitutis rescripsit, respondens eisdem de Ecclesiarum consecratione, & de Misfarum celebrationibus ita. *Non alibi, quàm in sacratis Domino locis absque magna necessitate fieri debere liquet omnibus, quibus nota sunt noui*

*De cons. d. i. c.  
sicut no*

K 4

*& veteris*

*De veteris testamenti præcepta, & ponit illa, & illis positis, dicit. Si Iudæi hoc faciebāt, multo magis nos debemus templa ædificare, & ornare, & sacrare, & non aliis in locis, quàm Deo ab Episcopis sacratis Missas celebrare, nec sacrificia Domino offerre, nisi hoc summa necessitas exigat. Et satius est Missam non cantare, aut non audire, quàm in his locis fieri, in quibus fieri non oportet. Sollemnitates verò dedicationum Ecclesiarum & Sacerdotum per singulos annos celebrandas esse asseruit: in eadem dicens, ipsum Dominum exempla dedisse, qui ad festum dedicationis templi venit, & quod octo dierum sint encœnia celebranda libri Regum dedicatione templi peracta ostendunt. De Ecclesiarum verò consecratione ita præcepit. Quotiescunq; dubitatur, & nec certa scriptura, nec certi testes existunt, à quibus consecratio sciatur, absque ulla dubitatione scitote eas esse faciendæ: nec talis trepidatio fiat de iteratione, quoniam non monstratur esse iterationem. iteratum, quod nescitur factum.*

*De cons. d. 1. c. solennitates.*

*Ioan. 10.*

*3. Regum. 8.*

## LVII.

A. D. XXX.

## BONIFACIUS II

\* Sigibuldo.

**B**ONIFACIUS, natione Romanus, ex patre\* De habentino, sedit annos 2. dies 22. Fuit autem temporibus Athalarici regis hæretici, & Iustini Augusti. Hic facta dissensione in clero & senatu in contentione ordinatur cum Dioscoro. Sed Dioscorus non multò post defunctus est. Vnde Bonifacius iam pacificè sedem adeptus, quasi damnans Dioscorum, noluit clerum, qui Dioscoro fauerat, nisi de vinculo anathematis pœnitentiæ satisfactione præmissa in communionem suscipere. Qui postea congregata Synodo decretum fecit, vt sibi successorem deberet eligere, & scripto & iuramento ipsum decretum muniri iussit. Quod quia contra canones statutum fuerat, à congregatione iterum in Synodo Episcoporum ratione cassatum est, & chirographum, quod inde factum fuerat igne consumptum est.

Hic Eulalio Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopo epistolam scripsit, in qua ei Carthaginensem Ecclesiam ad Romanæ Ecclesiæ communionem reuersam esse significat, quæ à tempore Aurelii ab ipsa discesserat. Aurelius enim præfata Ecclesiæ olim Episcopus cum collegis suis instigante diabolo superbire temporibus prædecessorum nostrorum, Bonifacii ac Cælestini contra Romanam Ecclesiam cœpit. Hic defunctus est 16. Kalend Nouemb.

LVIII.